

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

P I C A,

QVAM

AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA

SVB PRÆSIDIO

DN. D. JOH. HIER. KNIPHOFII,

ANAT. CHIRVRG. ET BOTAN. PROF. PVBL. FAC. MED. ASSESS. ORD.
ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGÆ,

PATRONI ET PROMOTORIS SVI
SVMME VENERANDI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS
ET IMMVNITATIBVS

LEGITIME IMPETRANDIS

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

FRANCISCVS GOLTZ,

SILESIVS MEGA-GLOGOVIENSIS.

IN AVDITORIO MAJORI, COLLEGII MAJORIS
HORA VIII. AD X.

DIE I. AVGVSTI M DCC XLVI.

ERFORDIAE

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.







PROOEMIUM.

Variis labefactatæ sanitatis calamitatibus atque ærumnis expositum deprehendimus hoc immortalis animæ ergastulum. In utero adhuc materno vix prima sui corporis nactus homo stamina & fluctuans de omnibus contingentibus casibus fortuitis participat, ejusdemque peccata & vitæ rationis minus cautæ omnisque imprudentiæ luit. Modo navis maternis signatur; modo lapsu, casu aut contusione, abdomini matris inficta, ipsius etiam foetus membra læduntur; modo ex his causis placenta separata, ex nutrimenti defectu ipsam mortem timendam habet. Non minus vitæ

A 2

peri-

periculum ipsi minatur hora exclusioni destina-
ta: sive enim ossa pubis nimis arcte clausa ipsi
exitum præcludunt, sive proprius funiculus um-
bilicalis circa collum volutus, vitam strangula-
tione vult adimere. Recenter exclusus multa
subit pericula inter manus tractantium, ob cor-
poris teneritatem, ossiumque adhuc molliem.
Nutrix sive terrore atque mœrore sanguinem in-
spisset; sive amoris cupidinibus eidem celerio-
rem motum conciliet; sive impuris congressi-
bus ipsum venenosa indole inquinet; infans
suam partem semper ex mammis accipit. Com-
munes iique infensissimi universales duo hostes
infantum, dentitio difficilis & variolæ, fere
omnibus dolorifica symptomata, quinimo
multis mortem inferunt. Quam molesta ipsis sit
scabies, nunc ab immoderato cibo inordinata-
que sumtione proveniens, nunc per contagium
ab aliis communicata, fere plurimi experiun-
tur. Gravius affliguntur, si capitis pars capilla-
ta ejusmodi ulceribus exeditur, quorum ichor
salinus rodendo continuam parit sensationem
tristem; insuper vero sex pedibus instructi in-
colæ mordendo & calcitrando lamentationes
flebiles

flebiles exprimunt & miserrime commiseratione dignos excruciant infantes. Unum quodque anni tempus peculiaribus morbis ad hominis interitum concurrunt. Sexus uterque propriis affligitur symptomatibus, ubi sequior tamen, si cum nobiliori comparaveris, plures & graviores, imo illustris WEDELII effato, omnem morbum bis patitur. Multa persentiscunt symptomata virgines, antequam menses prima vice prorumpunt; varia incommoda gravidæ perferunt, ob duplicem, in uno corpore humorum circulum; cruciatus vero tempore partus ipsis solennes omniscius Salvator ipse gravissimos declarat; nutricibus lac vario modo sit oneri, etiam dum desinunt infantibus mammas præbere; inexplicabilia denique symptomata multas invadunt, quibus circa quinquagesimum menses cessant. Hi morbi tamen omnes a solidis aut fluidis partibus afflictis dependent: quando vero mens simul in consortium trahitur, sæpissime medicamenta sufficere nolunt, inter quos insultus palmarium locum tenet *pica*, primo intuitu levis, ut vix Medici attentionem mereatur: quia

quia vero non raro chronicus evadit aliorum-
que morborum mater, propofui, eam in spe-
cimine inaugurali pertractare. Deum arden-
tissimis veneror precibus, dignetur gratiæ at-
que sapientiæ suæ spiritu mihi adesse, huic-
que labori benedicere.

§. I.

Non immerito morbum pertractaturus, onoma-
tologiam præmittit, utpote quæ ad meliorem
perspicuitatem rei que declarationem ipsius viam
pandit. Quid opus est, ut ex philosophorum præcep-
tis postulemus multa, ad firmandum, quod juxta po-
suimus adfertum. Experientia satis superque innume-
ris testatur exemplis, resolutiones vocabulorum maxi-
me ad intelligendas, quæ iis significantur, res conferre.
Nam illæ adeo in apricum, omnibus circa originem no-
minisque acceptionem aut dubiis discussis aut obscu-
ratione, proferuntur, ut cognitio & faciliior & clarior
inde accipi possit essentiæ. Affectus, cujus consideratio-
ne in præsentis specimine inaugurali fufius instituenda
occupati, esse insigni poterit documento. Nonnullis
enim arridet, nomen suum trahere ab *ave pica*, germa-
nis *Welfter*, quod, sicuti modo huic, modo illi arbori in-
sidere delectatur; modo granis, modo appetitu præ-
ter naturali, morticinis & cadaveribus fatiari fatagit; &
in hypocaustis asservata digitalia, monetas, crepundia,
aliaque rapit, & in aliena loca deportat, & varietate vo-
cis atque pennarum superbit, ita varietas appetitus in
pica

pica laborantibus, ad insolita assumenda est frequen-
tissima.

§. II.

Licet morbus iste communi & consueto nomine
Picæ insigniatur: interdum tamen *Citta*, quod origine
græcum vocabulum existit, & *Citrose passionis* appella-
tionem subit. *Κίττα* enim, vel ex dialecto Attica *κίττα* la-
tinorum picam denotat. Denominandi vernaculæ suæ
doctissimi hanc afferunt rationem *βιβρώμεται ἐπὶ γυναίκων*
εὖρος τῆς κίττας, manditur a foeminis instar avis istius. Nec
incongruum videtur derivari, *ἀπὸ τοῦ κίττι* ab *bedera*, quæ,
ut se variis plantis & arboribus implicat, ita pica labo-
rantes variis rebus delectantur, & quia malum gravi-
dis ut plurimum familiare, Gallis *l'appetit des Femmes*
vocatur. Germanis audit: *Ein unordentlicher Appe-
tit, allerhand ungewöhnliche Dinge zu essen; das Gelü-
sten derer schwangern Weiber*. Quilibet, nobis non mo-
mentibus, perspiciet, nos de *picatione*, vocabulo phar-
maceutico-chirurgico, jam non loqui; medicamentum
ex pice paratum, emplastri forma impositum denotari
ea dixisse sufficiet.

§. III.

Quibusdam placet picam & malaciam pro syno-
nymis accipere; aliis pica exprimit absurdorum appe-
tentiam, viris, mulieribus & præprimis gravidis fami-
liarem; *PLINIVS* depravatum prægnantium appeti-
tum malaciam nominare amat; Recentiores contra
appetitum auctum ad usualia *malaciam*, ad inusitata, a
quibus edendis *alias natura sana abhorret picam* appella-
lari

iari debere contendunt, quibus nostro adjecto lapillo quoque subscribimus.

§. IV.

Prælibatis hisce, placet, cum omnis de *Pica* futura sit disputatio, ante definire, quid sit *Pica*. Omnis enim, quæ de aliqua re suscipitur institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Est igitur appetitus depravatus, a quo absurda sive inusitata penitus, quocunque tempore appetuntur, a vitioso menstruo ventriculi, peculiari modo corrupto, orificium superius vellicante, & sic phantasia turbatam in consensum trahente, originem ducens.

§. V.

Dum appetitum depravatum generis loco ponimus, de organo, cujus actio læditur, pauca quædam præmittere non supervacaneum erit. Hoc est ventriculus, qui ex membranæ contextus: extima scilicet *membranacea* peritoneo continua, quam *Cellulosa* RUY-SCHII cum tertia *musculosa*, ex fibris quasi longitudinalibus & transversalibus decussata, jungit; hæc iterum per quartam *ALBINIANAM*, nempe *cellulosam*, cum quinta unitur; cui *nerveæ* nomen impositum, etiam multis vas sanguiferis nutritionem membranæ ad- & revehentibus, multisque glandulis liquorem gastricum fecernentibus, referta sit, (quam aliis placet in tres peculiare: *glandulosam*, *vasculosam* & *nerveam* dirimere,) quarum extremitates tomentosæ sexta tunica *villosa* nominantur.

§. VI.

§. VI.

Hoc receptaculum membranaceum anatomica solertia sub diaphragmate & costis spuris, inter hepar & lienem oblique situm deprehendit, orificio sinistro cum œsophago & pyloro, in dextro latere cum duodeno connexum, quorum illud inprimis nervi a pari vago abeuntes, notabili numero & quantitate intrant.

§. VII.

Actio ejus magis nota est, quam ut necesse sit, repetere, alimenta in ore per masticationem & salivæ admixtionem præparata, & per œsophagum deglutita, in chymum mutari; hocque absolvi, dum tunica musculosa ventriculi, diaphragma, musculique abdominis *motu* atque tritura; liquida potulenta, saliva, liquor œsophagi & liquor gastricus *soluzione*; vasa sanguifera quintæ tunicæ ventriculi, ut & aorta, vena cava & vasorum ramificationes in hepate, reliquisque visceribus adjacentibus existentes, *calore*; ac̄r cum cibo & potu ingestus, nunc vero inclusus *elasticitate* concurrunt.

§. VIII.

Notamus potius, quoniam jam nostra materiæque enucleandæ magnopere refert, liquorem gastricum, ex ductibus VERCELLONIANIS glandularum perpetuo secretum, ventriculo vacuo, tunicam ventriculi nervæam vellicare, nervisque copiose cardiacam ambientibus motum undulatorium imprimere, qui ad cerebrum continuatus, ejusmodi impressionem conflat, ut idea extemplo suboritur alimentorum desiderium involvens. De eo enim, ut a contrario, cujus eadem est ratio, documentum petam, inter omnes,

B

qui

qui idearum generationem accuratius investigare sibi operæ sumserunt pretium, constat, cibum gratum sensibus externis perceptum, appetitum excitare, dum cogitationes mentis singulares, determinatis corporis conditionibus semper jungantur, & idea de alimentis auditu, visu, odoratu, atque gustu concepta, in ore salivam moveat, in ventriculo sensum famis producat.

§. IX.

Ex allatis jam liquidissime patescit, quod, quoties appetantur res, quæ nequiquam aptæ, ut in nutrimentum commutari queant, symptoma actionis depravatæ appetitus animalis in ventriculi orificio finitro, tanquam morbi subiecto, oriatur, quod sæpissime a phantasia turbata, tanquam subiecto causæ, si non producat, tamen sustentetur.

§. X.

Causam proximam non immerito quarimus in ventriculo, ejusque in specie menstruo. Humorem enim, in stomacho qui reperitur, ad solida solvenda esse destinatum, superius jam diximus; & quando idem in orificium superius sive cardiacum agit, famem oriri, ab omnibus fere medicis recentioribus conceditur. Sedprehendimus diversam in animalibus ad cibos capiendos inclinationem, canis v. g. ossa, equus avenam appetit, upupa stercorebus vescitur, corvus cadaveribus, gallina granis nutritur, falco & accipiter aviculas, ardea pisces captat, apis ex floribus mel colligit, bombyx mori foliis fatiatur. Unde non improbabile, animalia in suo genere determinatum stomachi habere menstruum, quod in statu naturali animantes quoscunque

cunque ad sibi competens alimentum impellit; quod si vero acrimoniam peculiarem falsam, plus minus corrosivam acquirat, ratione causæ occasionalis diversam, non mirum est, determinatam & sensibilem vellicationem in orificio ventriculi sinistro oriri, quæ per nervos ad cerebrum continuata phantasiam stimulat, ut præceps in varia ruat, & parum pensitato, num conducant, profint, convenient, nec ne, appetat.

§. XI.

Depravatum ejusmodi menstruum in ventriculo generatur a vitiis in assumendo cibo & potu, ratione quantitatis aut qualitatis commissis; aut si plane contraria simul assumuntur, quæ coctionem turbant, & contenta non in debitum chymum, potius in putrem materiam convertunt. Minime vero ventriculo soli natales debet, sed sæpissime ex aliis corporis partibus ad ventriculum promovetur: quod, si nihil aliud, certe gravidarum conditio probat, ubi crudior sanguinis pars ab utero ad ventriculum defertur, in eodemque non raro liquidum contentum acrem induit naturam, materialemque picæ causam constituit. Pro diversa qualitatis specie hujus maligni liquoris fit, ut cruda vegetabilia, animalia, pisces, carbones, argilla, creta, glacies, corium, plumbum & infinita alia appetantur, aut hoc vel illud respuatur, prout corruptus iste humor majori vel minori activitate, volatilitate, aciditate aut faldedine alcalica, muriatica vel alia infectus.

§. XII.

Formalem constituimus, ut, qua semel cœpimus methodo, progrediamur, causam, irritationem atque

vellicationem in tunica nervea ventriculi ortam, & per motum spirituum insolitum ad sensorium commune delatam, qua phantasiæ naturalis interturbatur repræsentationum sphaera: ad quod teneritudo aut crassities major vel minor, tensio & mobilitas fibrillarum nervearum superioris orificii multum contribuit. Quod pica ab occasione positiva in stomacho fundata excite- tur, illustrare licet aliis organorum actionibus, v. g. vesica urina plena, aut vesiculæ feminales semine disten- tæ, somno superveniente, evacuantur, idea convenien- te conjuncta. Et quid obstat, quo minus scapham sca- pham dicamus, asseramusque cum expertissimis & ce- leberrimis viris, quod pica sit delirii species. Hoc *Lu- cæ* SCHROECKIO probabile videtur; *DOLÆVS*, *MARG- GRAV* & *Job. LANGIVS* verbis sat claris affirmant; *CRAANIVS*, *DIEMERBRÖC* & *GLADBACH* in hoc con- sentiunt haud contemnendis rationibus instructi. *MER- CATVS* narrat de muliere omnem potum averfante; & con- jicere licet, humores malignitatem fuisse ade- ptos consimilem illi, quæ in hydrophobia generari so- let. Deliria alias appetitus nota sunt, & practici phan- tasiam circa vagas & illicitas libidines errantem obser- varunt, quod delirium *Erotomaniam* vocitant.

§. XIII.

Sunt, qui etiam deliria circa alia animi pathemata statuunt, videmus v. g. toto die homines, ceteroquin sanos, effrenato gaudio cachinnos tollere, ut effusos, quid? quod ilia dissoluturos timeres; licet nullum quod vel submissum movere possit risum, proster ob- jectum, quod germani efferunt, rides ad instar deliran- tis:

tis: alii contra lacrymas fundunt, & gementes, quasi luctuoso gravissimoque lacerarentur mœrore, summum desperationis gradum ostendunt, cum tamen symptomata mox transitura sint, & cum mœstitia morbum ex spirituum prava dispositione ad breve tempus contractum deponant.

§. XIV.

Sicuti autem in spirituum perturbatione quandoque omnis appetitus penitus cessat, & nonnulla deliria id sibi vendicant, ut laborantes nihil cibi assumant: ita pica, delirii species emergit, in qua morbo affectæ, nullum laudabilem & ordinarium cibum, sed potius absurda & ad in ventriculo digerendum minus apta, appetunt. Pari ratione attonitæ mentis atque delirantes sua (aliorumque hominum) excrementa comedere & bibere, relatum legimus, vid. *Job. Bapt. van HELMONT. Tract. sextuplex Digestio Alimenti humani §. 36. fol. m. 132.* idem fecerunt pica laborantes; talem PAVLLINI vidit rusticam gravidam mulierem, fecibus viri adhuc calidis appetitui satisfaciendam, & LANZANVS gravidam novit, quæ urinam a sese redditam potavit. *M. N. C. Dec. III. An. III. obs. 28.* fatuum juvenem araneas esitasse, *J. Dom. SALA* refert; & SCHYRMANNIAM araneas in deliciis habuisse, ex *STRUV. Act. Lit. Fascic. 7.* notum est. Demens comedit bufones, DVNCANO vidente; gravis pariter bufones minutos in cibum admisit, PAVLLINI referente.

§. XV.

Magis vero patet, picam delirii esse annumerandam, dum phantasiam demulcendo, malum hoc interdum



dum curari, non infrequens. Medicorum enim non solum suafu substituitur aliquid, forma externa eadem præditum, esculentum tamen innocuum & commune; sed etiam vulgus didicit, cogitationes ad aliud dirigere, & aut ungues digitorum secundum ordinem considerando, aut præcinctorium firma appetitum sistendi intentione invertendo, picam remove. Præterea pica laborantes varia melancholiæ hypochondriacæ signa præ se ferunt; & hic ipse morbus inter melancholiæ hypochondriacæ signa refertur, consequenter etiam deliriis annumerandus venit. Nihil jam dicam de marito pro uxore gravida pica laborante, (conf. *Ephem. A. N. C. D. I. Ann. II. obs. 215.*) quod delirium redolet: sed hoc innuam modo, appetitus vitii annumerari non solis posse, quia non solummodo circa comedendi appetitum versatur, sed reliqua externorum sensuum organa pari fatuitate afficit.

§. XVI.

Ut, quæ in medium attulimus, pauculis modo, ne dicam probemus, sed leviter attingamus, *auditus* picam patitur, viamque pandit ad eam excitandam. Quis enim ignorat, gravidis ex recensione alimenti cujusdam, addita exaggeratione de ejusdem grato palatum affiendi modo, malaciam excitari; & prolixo discursu formato, de rebus ad edendum ineptis, variisque adjectis attentionem titillantibus earundem proprietatibus, picam oriri? Quando etiam quædam, *OLDENBURGIO* referente, fragorem Carbonum fossilium pedibus contritorum anxie appetebat, aut campanarum sonus partum facilitabat, *Ephem. N. C. D. II. Ann.*

VIII.

VIII. *Obs.* 17. aut sonus campanarum cephalalgiam curabat *D. III. Ann. II. Obs.* 32 quid aliud est, quam phantasia delirans, aut, si mavis, pica?

§. XVII.

Visum quod attinet, SALMUTH *Cent. II. Obs.* 62. nihil dubitat, picam appellare affectum, quo virgo omnibus rebus candidis mirifice delactata, aromata saccharo incrustata, calcem parietibus derasam, anxie appetebat; & sicuti albedine præditarum aspectus phantasticus a depravato & rodente liquore gastrico ortus hujus virginis appetitui satisfecit, ita vice versa humores acidi & biliosi, in orificio ventriculi sinistro contractione sodam excitentes obtutu *heracambæ* cum insigni successu dissipati fuerunt, teste WEDELIO *Amæn. M. M. p. m. 175.*

§. XVIII.

Odis pica laborabat illa virgo, quæ nasum veteri stramini, in ancillarum lectis seu spondis reperiundo, summæ delectationis gratia immittebat, uti SCHYRIGIVS in *Chylogia* refert. Omnibus quoque nota est pica nasi inter nos temporum vitio pervulgata, qua complures ita uruntur, ut neque edere, neque bibere, neque laborem peragere sustineant, nisi nares nicotiana, nescio quibus non raro ingredientibus permixta, infarciant, omnesque obviam venientes aut ad eandem lascivientium dapes narium liberalissimi invitent, quid? quod urgentius inflando cogant; aut si forte cupediis istis destituantur, aut, ut narium cupedum & vario & alieno & novo levent desiderium, ab aliis flagrantissime expetant & mollissime.

§. XIX.

§. XIX.

Tactu picam experiebatur mulier illa, quæ, quoties licebat, ore aperto ventum ex folle excipiebat; ut & alia, quæ varias occasiones quæsiuit grvida, ut alampam a marito acciperet; & iterum illa cujusdam latiniõis, non citius fœtum enitens, quam in lumbis titillata indice mariti.

§. XX.

Proprie pica ad *gustum* spectat, alimentorumque appetitui vitiato annumeratur, ubi non solum ex vegetabili & animali, sed etiam ex minerali regno desumpta, gulæ oblata. De sequentibus indubiæ practitorum observationes loquuntur: FEHRIO referente, grvida quædam *tritico* crudo valde delectabatur; alia toto in gravidationis tempore sola pulte ex *milio* famem explevit, *M. N. C. Dec. I. An. II. Obj. 209.* alius gravidæ mentionem facit DETHARDINGIVS, quæ in herba *majorana* exsiccata delicias quærebat. BIERLINGIVS prægnantem viginti circiter libras *piperis* comedisse, prodidit. *Zingiberis* aliquot libras devoravit grvida absque ullo incommodo, cujus phænomena PLATERVUS annotavit.

§. XXI.

Animalia inusitata assumpta fuisse a personis appetitu ciborum & phantasia læsa laborantibus, multa in medium produci possent exempla, pauca tamen ad asserti veritatem sufficient: gravidam duodecim *mulis* capita avulsiisse, illaque devorasse *M. N. C. D. I. A. II.* relatum legimus. FORESTVUS gravidas mulieres crudas *anguillas* deglutiisse, novit; tales PAYLINI comemo-

memorat, quæ integras devoratas vivas adhuc exclu-
ferint. FRIDERICI in *Diff. de Pica* testem se jactat ocu-
latum, mulierem carptionem vivum in foro e vase ex-
tractum ad dimidium coram omnibus avidè comedis-
se sine noxa. *Pullum vivum* maxima voluptate deglu-
tivit gravida militis uxor, uti ex fide digna narratione
literis conscriptum reliquit LANZONVS. Conchylia ni-
gra aliquot, cum testis crudis bis terve dentibus con-
cisit gravida devoravit, intraque horam foetum sanum
enixa, *Job. Bapt. v. HELMONT* referente. Thorosi cu-
jusdam viri armos gravida momordit, & partem avul-
sam crudam devoravit, quod cum iterato tentavit, vir
vero illam repulit, geminos gestans, alterum vivum
alterum mortuum edidit, quod MARCELLVS DONA-
TVS de *Medic. Hist. mir.* p. 297. notavit.

§. XXII.

Dum vegetabilia & animalia ciborum vices sub-
eunt, nemo facile miratur, talia a ventriculo assumi;
plus vero admirationis parit, quando videmus, ad mi-
nerale regnum pertinentia quoque deglutiri, ad appe-
titui præternaturali satisfaciendum: Virgo nobilis
duodecim annorum arenam scriptoriam avidè devora-
vit, quod BIERLINGII observatione constat. J. M. HESSE
virginem duodecim annorum novit, quæ calcem de pa-
rietibus abrafam tanto devoravit desiderio, ut nullis
nec verbis nec verberibus ab isto appetitu cohiberi po-
tuerit. *Dan. SENNERTO* occurrit foemina, lapidem
molarem contritum successive devorans. Hinc non-
nulli practitorum cum WALDSCHMIDIO statuunt, de-
ficientes in sanguine desiderari particulas, & carbones,
cretam

C

cretam, lapides v. g. appeti, ad acidum absorbendum; in statu naturali, si menstruum ventriculi nimis salinum, appetimus mitigantia, v. g. post esum halecis sitis oritur; si nimis spissum, diluentia desideramus, v. g. post assumpta ova, aut gelatinam majori inclinatione bibimus; si nimis fluidum, liquida abhorremus: quid ni etiam in statu præternaturali idem statuentum?

§. XXIII.

Inter *naturales* causas si dispiciamus, *temperamento calido* præditi hunc affectum plus experiuntur reliquis; *etate* quoque omni occurrit, quod per observationes allegandas facile probari posset, nisi ex antea dictis jamdum clarum esset; quoad *sexum* reperiuntur pueri, juvenes, atque viri phantasie indulgentes, variaque absurda assumentes, inter quos BLANCARDO nominare placet Chirurgum Lœvardensem, qui erucas aceto & pipere conditas comedit. Magis tamen *sequior sexus* obnoxius est; vel quia appetentiae suae indulgentius connivet semper; vel acie judicii non gaudet tanta, quanta nobilior; vel, etiamsi eadem exornatus, aut nunquam, aut saltem rarius illa utitur; vel quod ob mensium negotium oeconomia animalis triplici modo notabiliter invertitur. In puellis enim pubertati proximis, ubi fluere nituntur; in gravidis, ubi superfluis sanguinis ad foetum nutriendum impenditur & ob sanguinis restagnationem humores plus solito aescunt, aut nocivam qualitatem acquirunt; & in quinquagesimo anno proximis, ubi menstrua excretio finitur; quoad

quoad hanc triplicem considerationem plurima occurrunt in sexu pulchriori subjecta morbifica.

§. XXIV.

Sæpissime *hereditario* vitio matres in liberos suos derivant: *G. Arnoldus de VINCQVEDES E. A. N. C. Cent. III. Obs. 149.* de matre gestationis tempore pica vexata, idemque vitium proli tradente loquitur. *GOERTZIVS* puellam capillos devorantem vidit, quod mater gravida macellum præteriens, osque bovinum pilosum videns, ob pecuniæ vero defectum, prius domum ire coacta, revertens illud amplius non invenit.

§. XXV.

His connexam deprehendimus malam *educationem*, ita *CLAUVERVS M. N. C. Dec. II. Ann. 6. p. 355.* refert de viro sexagenario, pediculos vivos, recenter captos, avidè devorante, quia tempore belli adhuc puer, in sylvarum latibulis quotquot alebat pediculos, fordidiæ phantasiæ sophismate manducando consumferat. Et *ROMMELIUS Dec. III. Ann. 7. p. 64.* se novisse scribit virum, mucum narium digitis tractatum & in globulos formatum deliciarum instar deglutivisse. Non multum huc recedit, si non idem est, *consuetudo*; quot non videmus infantes, pollicem ori immittentes, atque sugentes, quasi ex papilla lac extrahere vellent? quem morem nonnulli ad plures retinent annos. Ita puer, cuius *TVLPIVS* mentionem facit, inter oves ab incubulis altus, gramen ac fœnum non solum manducabat, sed etiam singula minutim æstimando, seligebat.

§. XXVI.

Hic etiam sex *res non-naturales* suum exerunt imperium. *Aër* impuris particulis refertus, calore aut frigore excedens, sicut ventriculi digestionem facile lædit, ita ad hunc morbum producendum non ineptus est. *Ciborum* pravorum esus, aut vitium edendo commissum; ubi simul atque semel major quantitas fuerit infarta, quam ventriculi cavitas, maxime ingravidationis tempore angustior, capere, motuque subigere potest; præsertim, si necessaria liquidi solventis portio non superaddatur, multæ in morbos incurrunt, quia non tantum bibunt, quantum ad solida in ventriculum ingesta diluenda atque in laudabilem chymum mutanda requiruntur; plures vero digestionem turbant, nullo ordine in tempore assumendi observato; si enim prandium & cœna proponitur tempestivum, & cibi simpliciores atque pauciores numero capiuntur, sanitati consulitur atque digestionem prospicitur; quodsi vero singulis horis de novo quid ingurgitur, aut lactici- niis acida, & quæ contrariis sibi invicem occurrunt frontibus, ventriculo traduntur, non potest non actio ventriculi vitiose accelerari, & liquor gastricus nociva qualitate præditus in eundem infundi.

§. XXVII.

Sicuti etiam *motus* statim post sumtum cibum multo labore susceptus chymum adhuc imperfectum e ventriculo ejicit: ita *quiete* nimia calor suffocatur, motus cessat, liquor gastricus in corruptionem abit, & ventriculus fere plenarie depravatus non solum hunc affe-

affectum, sed etiam quævis alia patitur mala. *Somnus* nimius cum quiete coincidit, & inter *vigilandam* spiritus in celeriori motu constituti facilius absumuntur, ut ulterius chymificationi non sufficiant.

§. XXVIII.

Excernenda & retinenda multum hic conferre, nullus dubitat, qui perpendit, in puellis ad pubertatis annos progressis sanguinem in majori copia elaborari, quam ad corpus sustentandum requiritur, & in plerisque subjectis multum faceffere negotium, multaque excitari symptomata a retentione sanguinis superflui provenientia, antequam menstruatim excerni pergat. Multæ maritatarum gravidæ pessimeque afflictæ queruntur, in se eundem fluxum non solum retineri, sed etiam, dum foetus subtilissimas sanguinis materni partes sibi vendicat, matri residuas a sui nutritione reddere partes crudiores & quasi excrementitias, quæ floridissimis atque optimis orbatæ in organis secretoriis, præcipue ventriculo, pro liquore gastrico secernendo, nil nisi qualitate vitiatum menstruum suppeditare possunt. Id quod non solum ratio adducta confirmat, sed etiam toties a practicis reiterata experientia testatur, gravidis plerisque contingere phænomena, chymificationem & sanguificationem relative turbatam, pro fundamento agnoscentia.

§. XXIX.

Animi pathematibus magna vis corpus humanum alterandi ab omnibus omnino conceditur medicis. *Ægrotante corpore*, anima quoque affligitur; & men-

te patiente, corporis actiones animales, vitales & naturales impedimenta injici sibi haud facile removenda sentiunt; ira, mœror, terror, ventriculo evadunt noxia; ante omnia vero variae insolitarum gulæ libidinum species in altero subjecto magis oriri consueverunt, quod ob formæ elegantiam, aliaque præcipua a maritis sæpe non solum amantur, sed ita quoque diliguntur, ut, quæcunque appetant, connivendo ipsis concedantur. Accedit, ut quæ gestationis tempore nimio affluunt otio, plus spatium deliberandi acquirant, vicissitudini oblectamentorum, etiam apparenter talium cogitationibus inhærere; maxime tales, quæ persuasum habent, se totius rei œconomicæ caput esse, & continuo illud Tyranni memoria volvunt: quod libet, licet; unde quibusvis vellicationibus attendunt, & ob animi imbecillitatem in absurda sæpius abripiuntur.

§. XXX.

Quid refert huc referre alia, quæ ad absurda facienda & sumenda invitant aut necessitant. Hujus comitatus sunt paupertas, avaritia, desperatio, petulantia, veneratio & quæ plura nominari possent, humana carne, corio sicco & quibusvis minus ventriculo convenientibus annonæ penuria nimia fame perciti vitam sustentare quærunt, qui appetitus postea in nonnullis recrudescit formam picæ induens. Ita FINCELIUS in *Wunderzeitung* nobilem profert matronam in Franconia ab avaritia *der Geiz* cognominatam, quæ terram, simum & quicquid plateæ habent excrementi manducabat. ECPAVLLINI *de Theriaca cœlesti* memora-

rat

rat de phthifica ostreorum appetentissima, quæ, cum intra paucos dies supra quingenta desperatione consumsit, convaluit.

§. XXXI.

Abusive species picæ nominandæ quoque essent, quando lucricupidus Basileensis cultrivorus bufones & lacertas masticavit & devoravit; aut puellæ cretam copiose manducando consumunt, ut imaginariam pulchritudinem faciei albedine tinctæ reportent; aut rusticus, cujus *Job.* VIRIDETVS mentionem facit, pignore accepto monedulam vivam degulavit, cujus unguis laryngi infixis, vix strangulationem effugit. Itidem petulantia potius erat, quod BORELLVS refert de procuratore castrensi, quando in vitrum vino plenum jamque educendum, araneola, vix visibilis incideret, dixit: nihil refert, deglutieris, & duobus post hunc potum haustum mensibus, maximam ingenti tulli araneam rejecit.

§. XXXII.

Picæ species a TAVERNIER consignata venerationem pro fundamento agnoscit, nempe incolæ regni Bontan excrementis alvinis regis sui ficcatis pulverificatis cibos condiunt. Galliæ Regis subditi multi chirurgis intestinum rectum ad incidendum offerebant, cum 1687. rex fistula ani sectione mediante fuisset restitutus. Tandem cupido amissam sanitatem recuperandi suadet & necessitat homines credulitate turgida varia inusitata assumendi: Londinensis ille organorum musicalium Magister, araneis deglutitis omnes suos

suos morbos tanquam præstantissima panacea curare solitus fuit; quibus studiosus Hildesienſis quidam macilentiam curavit, obesus atque sanus factus HANNEMANNO referente. Qualia ad hunc scopum collimantia varia, vulgus devorat, libri præctici & PAVLLINI *Dreck-Apothecke* comprobare possunt.

§. XXXIII.

Præternaturales res, morbi nempe atque symptomata picam producere valent. Si enim universa massa sanguinea scorbutico sale inquinata est, particulares humores, qualis liquor gastricus, pari discrasia laborare, per se patet; pariter exanthemata omnis generis, in specie scabiem retropulsam eandem produxisse, FEBRIVS annotavit; ex ulcere faucium materiam purulentam deglutitam menstruum ventriculi depravasse observationibus constat; cachexiam hujus morbi matrem præctici nominant experientia suffulti; hepatis & lienis obstructionem ad hujus productionem multum conferre, nihil novi est clinicis, sicuti ex D. MARCHANQUEZ literis legere licet, ictérico-hydrico-nephriticum ad notabile temporis spatium, nonnisi chartam bibulam avidissime devorasse; uteri affectus varii, eadem ratione, sicuti ingravatio causa ejusdem evadunt; neque vermes, melancholia & quartana culpa vacant, sed admodum habiles sunt ad eundem producendum.

§. XXXIV.

Diagnostica hujus morbi signa, ex ægrotantis relatione innotescunt; præterea anxietates præcordiorum, languor universi corporis, ructus acidi nitrosi, sapor

sapor amarus, acidus, salus conjuncta sunt; crebro exspuunt, nauseam & morficationes circa orificium ventriculi patiuntur. Superveniens vomitus humoris peccantis indolem vario modo examinandam permittit; serosus & pituitosus ex albo, biliosus ex croceo atque viridi, sanguineus ex corrupti sanguinis nigredine dignoscitur, odorem modo hunc modo alium spirans.

§. XXXV.

Prognosis ratione *eventus* morbum non periculum declarat, si humor vel materia peccans per vomitum, secessum, vel per metastasin cum mensibus aut hæmorrhoidibus e corpore proscribitur; quod si vero hoc non fit, sed potius causa materialis in corpore retinetur, variæ oriuntur obstructions graves, hydrops & ipsa mors.

§. XXXVI.

Quoad *tempus*, ut plurimum in gravidis quadragesimo post factam conceptionem die oritur, & ad quartum mensem durat, haud vulgari teste solertissima observatione JOELIS, ubi liberari solent: quia materia vitiosa crebris vomitionibus fuit rejecta, & fœtus grandior factus majorem humorum copiam absumit, ut residua hætenus nociva facilius concoqui atque emendari possit. In aliis vero non gravidis chronicum est malum, & si a parentibus vitio hæreditario communicatum, incurabile existit.

§. XXXVII.

Modus eventus vergit ad *salutem*, quando causa
D plenarie

plenarie eradicari potest, & ægroti ab edulis pravis abstinent, & laudabilibus uti incipiunt: E contrario *ad mortem* ducit per accidens, si humor vitiatuſ insignem induit malignitatis gradum, unde præcedentes lipothymia & syncope mortem post se trahunt. *In alium morbum* mutatur quando sanguinis naturalis excretio antea turbata aut intercepta in ordinem redigitur v. g. menses aut hæmorrhoides, qualem RHODIUS refert casum. Vitio vero malæ diætæ mutatur in hælicam, testante SYLVIO, quæ denique etiam ad interitum viam pandit. De cætero tanta hujus fatuæ appetitionis vis est, ut gravidarum desiderio nisi satisfiat, abortiant, aut stigmata rei desideratæ foetui imprimantur. Si PRIMEROSIO credendum, pulchriores edunt foetus foeminae, quæ pica, laborant, foetu purissimam sanguinis partem in suam mutante substantiam, crudiori relicta, & ad ventriculum roſivum fluidum mittente. Et ejusmodi insolita, etiamſi sanis noceant, pica tamen laborantibus non raro proficua sunt.

§. XXXVIII.

Ut nonnulla tantum adducam probationis loco exempla, BIERLINGIUS refert, barbitonſis uxorem hydrope laborantem magnam arenæ copiam ex fonte desumptam deglutivisse, & post biduum multum pituitæ per alvum excreviſſe, unde ab Hydrope convalescit. Gravidæ omnes cibos averſans cineres mire deperibat, post quorum assumptionem appetitus ad cibos ordinarios repetebat, quod FRANCI obſervatione ſciſmus.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Non raro quoque noxias reportarunt picæ indulgentes, ita prægnans, cujus BRASSAVOLVS mentionem injicit, a glareâ comesta tussim intensissimam & digestionis læsionem contraxit. Puella quædam per arenam chlorosin; & alia per cretam assumtam leucophlegmatiam sibi conciliavit. Duæ sorores fagopyri esu copioso, obstructions atque mortem sibi accerferunt, SCHENCKIO notante. Aliam virginem ex salis culinaris nimio usu in hepatis inflammationem immedicabilem devenisse, C. a REIES meminit. Mendicus araneivorus Noribergensis LOCHNERI relatione satyriasin perpeffus est. FIOROVANTI luis venereæ ortum deducit ab esu carnis humanæ, cum tempore belli ad Neapolim penuria carniū esset. Tali ratione puella veneno nutrita venenosum accepit corpus, uti PLVTARCHVS tradit, quod a Rege Indo ad Alexandrum missâ, ut Macedo amore captus cum illa decumbens interiret, quæ vero, regi dato Aristotelis consilio, aulico adjuncta, venenosis amoris illecebris interfecit.

§. XL.

Ad curam nos accinduri sequentes formamus indicationes I. ventriculus est evacuandus II. vitium ejus menstruum in statum naturalem reducendum III. symptomatibus succurrendum.

§. XLI.

Primæ indicationi satisfacimus, si materiæ morbificæ faciliorem exitum paramus, quod obtinemus leni vomitorio aut purgante; etiam si enim morbus

fit gravidarum, & in gravidis vomitoria exhibita fortiora facile noceant, & purgantia vehementiora ad instar emmenagogorum abortum faciant, scintus tamen, primis graviditatis mensibus vomitum symptoma esse consuetum, rarissime nocens. Dum, ut plurimum sanguinis copiam pro causa agnoscit, & ultimis gestationis mensibus aut sponte cessat, aut superfluo per venæ sectionem educto, ulterius non observatur. Vomitus itaque innoxio porta aperitur per largiorem calidæ haustum, ubi nulla alia intentio est, quam materiæ morbificæ præter naturam in hærentis diluitio, quo simul fortiores nifus evitantur; si vero per infusum theiforme nostrum non attingimus scopum, tartari emetici unum granum cum radice ipecac. & lapid. Canc. ana scrupulo semis mixtum, lenissimam ejectionem per superiora procurabit. Feliciorem effectum obtinemus, si præcedente vesperi loco digestivi sal absinthii ad ℥j. cum succini ppti ℥ss. assumitur. Nonnulli vomitum excitant oxymelite & hydromelite; FABER utitur sale vitrioli vomitivo, ut & infuso mercurii vitæ.

§. XLII.

Ventriculus etiam evacuari consuevit purgantibus, quorum usus tamen limitandus venit juxta monitum HIPPOCRATIS *Seç. IV. Aph. I.* abstinendum ultimis gestationis mensibus, caute procedendum primis, medio vero tempore, si circumstantiæ purgantia indicant, tuto exhiberi possunt, & hoc idem tempus est, quod noster morbus incurrit, si in gravidis ob-
serva-

servatur. Quando itaque FERNELII suafu infuper benigna atque leniora eliguntur v. g. manna & caffia, aut pulvis rhabbarbari cum conserva rofarum, pulvis laxativus polychrestus, magnesia alba & fimilia in ufum vocantur, non habemus, quod ancipitem metuamus eventum.

§. XLIII.

Alteram quod attinet indicationem, individualis intemperiei, specificæ varietatis humoris in ventriculo haberi debet ratio, & nunc blandiora acida, nunc falina fixa, nunc volatilia & aromatica locum habent. Acidæ naturæ fi est, alcalicis, abforbentibus lapidibus *ϕ. C. C. philof. mat. perl. &c.* atque martialibus invertitur; nimis vifcidus optime corrigitur æthiope minerali & radice zedoariæ, anatica portione mixtis, alternis diebus ante cubitum in dofi fumendis; fi vero nimis ferofus & calor ventriculi fimul imminutus, aromatica atque volatilia calorem augmentia proficua erunt, ficuti hoc cafu conditura corticum citri & aurantiorum, nux mofchata in india condita, fyropus aurantiorum, morfuli ftomachici atque pulveres peptici utilem præftant effectum.

§. XLIV.

Specifica virtute HOEFERVS, SENNERTVS aliique deprædicant vitis folia, fuccum e tenellis vitis foliis expreffum, ut & aquam pampini deftillatam, aut primo vere ex furculis abfciffis ftillantem, folam, aut cum fyropo florum anthos aut de abfynthio exhibitam. LINDANI confilio conducit conserva rofarum cum

D 3

spiritu

spiritu vitrioli acidulata, addito pulvere zedoariæ Ele-
ctuarii forma oblata. Si fieri potest, stragemate
practico medicamenta cum rebus in pica assumendis
miscantur. Et in aliis personis non gravidis pica la-
borantibus potentiora remedia a practicis commendata
fortius operantur, quæ in gravidis, ne noxa foetui in-
feratur, cautius usurpanda.

§. XLV.

Symptomatibus denique succurrimus vario mo-
do, partim remediis internis & externis, partim consi-
liis: interna remedia ventriculum roborare digestio-
nemque promovere debent; sunt itaque tonica atque
stomachica moderate acida, oleum de cedro, aliaque
ex mentha atque absynthio parata. Vomitus & hy-
percatharsis, sicuti in aliis ita & in gravidis, tinctura
antimonii rhabarbarina ROLFINCII experientia sistitur.
Si menses suppressi in non gravidis in culpa sunt, per
debita remedia in ordinem redigendi; si affectio hy-
pochondriaca, aut hepatis & lienis obstructio ansam
dedit, pulvis stomachalis Quercetani vel Birkmansi
cum croco martis aperitivo mixtus opem adferet.

§. XLVI.

Externa quoque remedia, oleum macis, menthæ,
absynthii, carvi capparum &c. cum oleo nucis mo-
schatæ expresso in balsamum stomachicum componi,
atque inungi possunt; cui impositus facculus parego-
ricus, ex speciebus nervinis atque stomachicis: rad.
galangæ, acori veri, herba menthæ crispæ, majoranæ,
mace, cardamomo, cinamomo, semine anisi, baccis ju-
nipe-

niperi, similibusque concinnatus, majorem penetrandi efficaciam conciliat. Sic quoque emplastrum de crusta panis, oleo maltichino malaxatum, imponi potest.

§. XLVII.

His moralis cura subjungenda venit. Gravidis nempe non penitus interdicatur, quod appetunt, sed blandioribus discursibus verbisque jucundis ad alias gratiores ideas lepidasque cogitationes invitandæ, ut animus mœrore prostratus erigatur, & ab absurdæ penitinationibus detrahatur, & quando iterum de materia per picam desiderata loqui incipiunt, variis argumentis de noxa inde redundante, de absurdo, de obsceno aliisque fanis hominibus contentui, desumptis dissuadenda sunt.

§. XLVIII.

Tandem bona diæta est commendanda, ut nempe in aëre temperate calido degat, qui nullis putridis, paludosis aut falsis exhalationibus inquinatus sit, ipsique non solum liber transitus per habitaculum concedatur, apertis januis atque fenestris, sed etiam post harum reclusionem suffitibus balsamicis depuratio procuranda. Sufficit hic suffrutex juniperi accensus, aut ejus baccæ, vel succini fragmenta, dum mulieres hæ raro suavem admittunt odorem. Cibus eligendus digestu facilis, atque laudabilem chymum suppeditans, caro pullo- rum, caponum, viculina, cappares aceto conditi, olive file & aceto conditæ, panis probe fermentatus & bene pitus, succo cydoniorum & granatorum mace-
ratus

ratus, pulmentum ex amylo recenter paratum JOELIS
 suafu, embamma ex succo fofari, radicis apii & petro-
 felini cum succo limonum & aceto mixtum. Potus
 fit cerevifia defecata, & vinum in specie rubrum tan-
 tifper adstringens, Motus corpori concedendus fuffi-
 ciens pro ratione virium, vita enim fedentaria plus
 fufientat atque auget hunc affectum. Somnus fit me-
 diocris ad octo circiter horas continuatus, quia & ex-
 cedens & deficiens corpus facile debilitat. Excretio-
 nes omnes in ordine fervandæ, ante omnia vero ani-
 mi pathematibus frena injjicienda, fic affiftentia
 divini numinis huic quoque morbo
 ponitur

FINIS.



01 A 6576


ULB Halle 3
002 931 664



TAOC

Sb.





IO INAVGVRALIS MEDICA

DE

M C A,

QVAM

AVCTORITATE

MEDICORVM ORDINIS

ET PERANTIQVA HIERANA

B PRÆSIDIO

L. HIER. KNIPHOFII,

OTAN. PROF. PVBL. FAC. MED. ASSESS. ORD.
SAR. NAT. CVRIOS. COLLEGÆ,

ET PROMOTORIS SVI
ME VENERANDI,

ADV DOCTORIS

ARTE MEDICA HONORIBVS
MMVNITATIBVS

GITIME IMPETRANDIS

VITQRVM EXAMINI SVBMITTIT


SCVS GOLTZ,
MEGA-GLOGOVIENSIS.

MAJORI, COLLEGII MAJORIS
ORA VIII. AD X.

AVGVSTI M DCC XLVI.

R FORDIAE

TOPH. HERINGII, Acad. Typogr.



B.I.G.

Farbkarte #13

